



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

§. 13. Laudanensis Ipiscopi recursus ad Clementem summum Pontificem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Auctor exacte exposuit, quam amplis Sæc. XVIII.
A. C. 1735.
progressibus error invaluerit, quam ini-
quis iteratisque assultibus Ecclesia a
profanis Judicibus fuerit impetita,
quam urgentes essent rationes, quibus
demum ad succollendam oppressam Re-
ligionem permoverentur. Verum sur-
dis canebatur fabula: Episcopi enim in
piis desideriis, ac sterili bona volunta-
te hæserunt, persuasi, prudentiæ le-
ges dictare, ut in præsentis rerum vi-
cissitudine tempori cederetur. Eapropter
sua dissolvebant comitia, quin in
Ecclesiæ defensionem ac favorem vel
unicam lineolam publici juris fecissent,
vana pollicitatione eis facta fascinati,
fore, ut Rex, quæ ipsi provida cir-
cumspeditione prætermisissent, majori
auctoritatis pondere suppleturus esset.

§. XIII.

*Laudanensis Episcopi recursus ad
summum Pontificem.*

Cum ergo Laudanensis Episcopus se
ab omnibus derelictum cerneret,
in summi Pontificis æquitate paratissi-
mum quærebat perfugium: mox igitur
datis ad eundem literis totam causæ
suæ seriem non minus exacte, quam
fideliter perscripsit, seque in ejus fi-
dem & clientelam totum contulit: Nec
Hist. Eccles. Tom. LXXV. **E** sua

Sæc. XVII.
A. C. 1735.

fua eum fefellit fiducia ; quippe Clemens Pontifex per Firaum Cardinalem, quem a secretis habuit, duas literas paternæ consolationis plenas ad eum dedit, in quibus Præfulem ob animi sui constantiam, Ecclesiasticæ libertatis studium, Zelumque Apostolicum vel maxime commendabat, certio-remque reddebat, quod ejus doctrina, quam in suis Instructionibus protulisset, non alia esset, quam ipsius Ecclesiæ. Hoc idem Pontificis judicium in Regis animo tantam obtinuit vim, ut Laudanensis Episcopus ex suo exilio aulam accedere permetteretur: Præprimis ergo Cardinalem Fleuryum adiit, eique utriusque Pontificiæ epistolæ autographum, Roma sibi transmissum exhibuit: Fleuryus cunctos apices sedulo examinans pro sua sagacitate probe prospexit, Pontificem in nudis commiserationis testificationibus haud substiturum, sed tandem extrema quæque tentaturum, ut doctissimi juxta ac piissimi hujus Præsulis, cujus famam tot iteratæ Laicorum proscriptio-nes diffamaverant, instructiones ab infamia vindicaret; Ut ergo Fleuryus Pontificis indignationem averteret, Laudanensi Episcopo spem fecerat, fore, ut plenam Regem adeundi copiam haberet, & sua scripta edendi liber-
tas

tas eidem adempta redderetur. Attamen tempus in longius ducebatur, & res in solis, iisque vanis promissis hærebatur, non sine maximo rei spiritualis detrimento; postquam enim Episcopus ad suam Diœcesin reversus erat, summo animi mœrore deprehendit, plurima scripta maximo numero in vulgus fuisse sparsa, eo periculosa, quo ex præfixo Antiffiodorensis, Sanitiensis & Montpessulani Episcoporum nomine majus auctoritatis momentum habere viderentur: Eapropter Laudanensis Episcopus, cum nullum aliud malo remedium superesse cerneret, censuit in præsentis Religionis discrimine oppido necessarium esse, ut refractarios hosce Præsules, eorumque Sectatores una omnes a fidelium suorum communione segregatos declararet, hujusque poenæ severitate suis Diœcesanis testatum redderet, quam abominanda esset horum doctrina.

Sæc. XVIII.
A. C. 1735.

§. XIV.

*Refractariorum Præsulum errores
a Laudanensi Episcopo damnati.*

Eo fine Laudanensis Episcopus die prima Aprilis anni sequentis Pastoralem instructionem promulgavit, in qua sub poena excommunicationis ipso facto

E 2

incur-